



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus**

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri  
edita

**Heislinger, Anton**

**Ingolstadij, 1726**

Casus XIX. De Censibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40177**

mentio laudamenti, arbitrij Judicis & sententia.

31 Ob. 2. Per quas causas quid nascitur per eandem dissolvitur, sed feudum nascitur ipso jure, & absque judicis sententia acquiritur vasallo; ergo etiam hoc jure amittitur. R. distinguo Majorrem per quas causas aliquid nascitur per has etiam dissolvitur, si loquamur de amissione & dissolutione in modum poenae per culpam inducta nego, si loquamur de alijs modis, quibus potest amitti feudum, transeat.

Dico 3. Ipso jure apertum fuisse feudum, si hoc absque consensu Domini fuit illicitè abalienatum: si tamen emptori traditio jam fuit facta, solum per sententiam vindicari feudum potest: ita tenet communis Doctorum, & statutum habetur in cap. Imperialem de prohib. feud. alien. per Lotharium: lib. 2. tit. 52. & cap. imperialem de prohib. feud. alien. per Fridericum lib. 2. tit. 55. Zæsius in Epit. p. 9. n. 3. Clarus de feudum q. 31. n. 1. Rosenthaler tract. de feud. c. 9. concl. 1.



## CASUS XIX.

### De Censibus.

**S**Empronius non obstante lege, pro censu annuo quatuor florenorum taxante pretium octoginta, vendit quatuor annuos centum florenis. Ex opposito ipsismet emit sex annuos solummodo centum: imò jus percipiendi singulis hebdomadis crucigerum, vel singulis mensibus denarium unico floreno.

Q. 1. Utrum stante tali lege, quatuor florenorum annuus census licitè vendatur 100?

Q. 2. Utrum sex annui emantur licitè solummodo centum?

Q. 3. Utrum unico floreno licitè emam censum crucigeri in singulas hebdomades, vel denarij in singulos menses persolvendi?

Kk

SY-

## SYNOPSIS.

## §. I.

## Prænotanda.

1. Explicatur natura censuum.
2. Qui ex se sunt reservativus, & consignativus.
3. Consignativus alius est realis, personalis, & mixtus.
4. Alius est perpetuus, alius temporalis, ac redimibilis, alius irredimibilis.
5. Differentia contractus mutui à censuali adducitur.
6. Et iustum, atque licitum hunc esse probatur.
7. Ex quo iustitia pretij in hoc contractu sit desumenda?
8. Pretium verum aliud est legitimum, aliud vulgare, seu naturale.
9. Pretium legitimum consistit in indivisibili, naturale autem non.
10. Legitimum subinde in utilitatem ementium, subinde vendentium, taxatur.
11. In determinando pretio ante omnia, quid circa hoc Magistratus statuerit, considerandum.
12. Carolus V. quid circa hoc statuerit.

## §. II.

## Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum stante tali lege quatuor florenorum annuus census licite vendatur 100.

13. Si pretium naturale, seu vulgare sit majus legitimo & taxato, poterit vendi census pretio naturali.
14. Venditor census non potest pro hoc exigere pretium vulgare, & legitimum majus.
15. Explicatur sensus proverbij: res tanti est, quanti vendi potest.
16. Item lex in re: 21. Cod. mandati.
17. Quandoam plus dans censatur excessum donare.
18. Quis sit sensus, legis in causâ: 16. §. 4. ff. de minoribus.
19. Vulgari aut legitimo majus pretium à non ignorante, atque extra necessitatem pro certo censu oblatum potest accipi.
20. Præsertim si locorum consuetudo accesserit.

§. III.

## §. III.

## Resolvitur secundum Quæsitum.

## Utrum sex annui emantur licitè solummodo census?

21. Responso est negativa, si legitimum statutum contrarium adhuc vigeat.
22. Comparandi erunt census vigente etiamnum legali pretio, et si hoc sit minus vulgari.
23. Caroli V. de pretio censuum olim promulgata lex non obligat, ubi contraria consuetudo est introducta.
24. Subinde etiam amoto omni periculo amittendi census plus poterit accipi.
25. Si consueto longè majus periculum detur non recipiendi census à censuario, major etiam census poterit accipi.
26. Idem potest fieri, si censuarius nulla necessitate compulsus ultrò plus censualis ad hoc rogato offerat.
27. Idem respectu pretij vulgaris habet locum.

## §. IV.

## De licentia census personalis.

28. Petenda videtur decisio tertij quesiti ex licentia census personalis.
29. Qui nullo jure naturali est prohibitus.
30. Datùrque in eo equalitas mercem inter & pretium.
31. Nec damnatus fuit à Martino V. & Calixto III.
32. Potest persona obligari.
33. Pereunte Persona perit jus aliquid percipiendi ex fructibus industrialibus, illius non autem ex bonis aliter acquisitis.
34. Quando nam census personalis à persona ad lucrandum inhabili possit expeti?
35. Etiam realis census ex re uno, vel altero anno infructifera, subinde expeti potest.

## §. V.

## Substantia Quæstii tertij expenditur.

36. Num admissio censu personali nulla usura amplius admittatur.
37. Videtur injustus contractus, eò quòd annuū 52. crucigeri emerentur 60. crucigeris seu florenno.
38. Item quia computatis duobus annis pensiones excedunt sortem.
39. Possent licet 10. florenis comparare 10. crucigeros in singulas hebdomades.
40. Si talis census foret irredimibilis, non esset æqualitas inter pretium & mercem: si redimibilis, non differret à mutuo.
41. Non tollitur injustitia ex libero, & voluntario consensu censuarij.
42. Suppeditatur famulis, ancillis, occasu furandi &c.
43. Insuper minori summa emitur, & comparatur major.
44. Quia denique in mutuo non licet tale quid ultra sortem exigere.
45. Ex fundamentis pro justitia hujus contractus primum, & potissimum desinitur ex periculo, incommodis, & damno, quibus censualista talis se exponit.
46. Quod pretio in favorem vendentium pensiones constituto remanere censuarij vendentis possint.
47. Insuper de factio septies in 8. vel decem comparatur 10. florenis.
48. Decisio hujus totius controversiæ judicio prudentum erit faciendæ.
49. Respondetur argumentis licet hunc contractum probantibus.

## §. I.

## Prænotanda.

**C**ensus apud Canonistas, & jus quoddam, & ipsum contractum, ex quo tale jus resultat, significat. Prout est ipsum jus, & effectus contractus, definitur esse: jus contractu quodam constitutum percipiendi pensionem ex re, vel persona alterius. Hinc contractus censualis erit, quo jus istud venditur, & emitur. Emptorem talis pensionis nominamus censualistam, vendentem autem censuanum. Dividitur census in reservatum, & consignatum: in illo aliquis transfert rei suæ dominium directum, & utile, ut tamen jus pensionis cujusdam annue sibi super

per eadem re reservet. Quòd, si aliquis super persona, aut bonis suis alteri consignet, seu tribuat jus percipiendi pensionem annuam, dabitur consignativus census.

3 Qui est triplex, realis, personalis, & mixtus. realis super re alterius fundatur v. g. prædio, domo &c. Personalis immediatè non obligat bona censuarij, sed super hujus persona, quam immediatè afficit, fundatur. Unde personalis à reali censu distinguitur etiam ex eo, quòd realis rem committitur, ad quemcumque dein possessorem illa pervenerit, & re tali pereunte, etiam ipse pereat, quæ tamen in personali sensu nullum locum habent. Mixtus denique census est; qui & super re, & simul super persona fundatur, ita ut pereunte re adhuc persona obligata maneat.

4 Aia divisio censuum est in perpetuum, & temporalem: hic vel est ad certum tempus, v. g. quinque vel sex annos: vel ad incertum, ad unius scilicet vel plurium vitam, quem etiam vitalitium vocant. perpetuus contrario durat per se perpetuò, quòd si tamen iste vel ex parte unius, vel ex parte utriusque contrahentis possit redimi, dicitur redimibilis; si à nullo redimi valeat, irredimibilis & absolutè perpetuus census erit.

5 Ex quibus omnibus differentia mutui à censuali contractu desu-

mitur, quæ in eo consistit, quòd mutuum cum quacunque personâ rectè instituamus, hujusque obligatio ad mutuatarij hæredes, & hæredum hæredes transmittatur non attento ullo ordine ad requisitum aliquod fundamentum, ex opposito contractus censualis certum fundamentum, in quo fundetur, expostulat, quo penitus sublato, sublato pariter erit ex censuali contractu acquisitum jus, nisi ob adjectum assurancementis pactum fors possit à censualista repeti. Ratio autem ob quam pereunte re etiam pereat super re tali constitutus census, solet esse; quia pereunte re dominium tum directum tum utile in usufructu consistens perit: ergo etiam peribit census realis, qui vel quasi usufructus totalis, vel portio ejus, contractu censuali comparatus fuit.

Nullum etiam modò dubium 6 superest de licentia ac justitia census realis tam pecuniarij, quam fructuarij: sive hic sit perpetuus, sive temporalis, modò sit comparatus pretio à lege vel consuetudine loci constituto. Cùm illum legamus approbatum fuisse à Martino V. Calixto III, item Pio V. in sua Bulla, cujus initium cum onus: edita 1568. Auctoritatem horum Pontificum venerantur omnes Doctores; nec sine fundamento, possum enim donatione, vel legato constituisse alteri jus percipiendi partem

K.k 3

fru-

fructuum ex domo mea, vinea, vel agro in perpetuum, vel ad certos aliquot annos: ergo hoc ipsum jus etiam alteri pro certo pretio vendere possum; consequenter contractus census erit validus.

7 Cæterum cum superioribus meminerimus ad justitiam hujus contractus requiri, ut jus istud ad pensiones, debito pretio sit comparatum, ideo notamus, justum pretij normam non esse consensum singulorum contrahentium, cum in horum potestate neutrumquam sit positum pro suo arbitrio augere pretium, vel diminueri. quantitas itaque justum pretij: uti in cæteris quoque emptionibus immediatè desumenda est, ex ipsa hujus portionis præstantiæ natura, ac intrinseco valore: nec non ex determinatione legis, vel ex recepto ipsorum contrahentium usu.

8 Unde duplex pretium rerum haberi solet, unum legitimum, alterum naturale: illud est, quod lege Principis vel Reipublicæ, & magistratus autoritate constitutum est. Naturale verò dicitur, quod sine humana lege, aut decreto ex rerum naturis, conditionibus, & circumstantiis confurgit, & à fori consuetudine, & communi contrahentium usu definitur; uti habetur *lege pretia rerum 63. ff. ad legem falcid.*

9 Illud insuper inter legitimum ac naturale aut, ut alij nominant,

vulgare pretium discrimen intercedit, quod legitimum consistit in indivisibili ac latitudine caret, eò quod potestas publica justum pretium ad unum restrinxerit. Vulgare autem hanc latitudinem admittat, cum aliud sit summum, aliud medium, aliud infimum.

Circa pretium legitimum vel maximè etiam observandum est, quod illud subinde in utilitatem ementium taxetur, & tunc non licet rem pluri vendere, quamvis possit minoris emi: aliquando in utilitatem vendentium: & tunc non licebit rem minoris emere, etsi pluri vendi possit.

Ut itaque justum pretium in comparatione census determinetur, videri debet, an non certum aliquod à Magistratu vel Principe quodam constitutum fuerit; si de tali statuto aut lege non constet, videnda erit consuetudo loci, in quo celebratur hic contractus, & quonam communiter pretio certa quædam pensio vendatur, explorandum.

Judicant autem communitè omnes, à Carolo V. statutum fuisse, ut jus percipiendi quinque florenos in singulos annos centum florenis comparatur, hancque constitutionem in bonum & commodum censuariorum, seu vendentium census factam fuisse, nemo abnuat, ne scilicet isti necessitate aliqua compulsi ab emptoribus censuum nimium gravarentur.

Con-

Constitutionem istam Carolinam, quod concernit, potuit illa instar aliarum legum vel totaliter, & in tota germania, vel quoad partem duntaxat, & in aliquibus duntaxat locis fuisse contraria quadam legitima consuetudine abrogata,

## §. II.

## Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum stante tali lege quatuor florenorum annuus census licet vendatur 100?

**33** **D**ico 1. Si pretium legitimum pro 4. florenis annuis sint 80. & pro 3. sint 60., pretium autem vulgare seu naturale sint pro quatuor 100. uti etiam pro 3. tunc non obstante lege taxante 80. pro 4. & 60. pro 3. aliquis venditor poterit 4. annuos, & etiam tres vendere pro 100. Ita Melchior Friderich de *emption. ac venditione parte 3. cap. 5. art. 4. n. 272.* Ratio est, pretium hoc à lege taxatum fuit in gratiam ipsorum vendentium census, ne homines inopia, & penuria ad venditionem censuum compulsi nimis exiguo pretio teneantur illos vendere; ergo relicto legitimo possunt exigere vulgare, seu commune, cum hoc augmentum non cedat in præjudicium, sed commodum vendentium census, eò quòd centum, & non tantum 60. pro 3. annuis accipiat.

Confirmatur, quando pretium legitimum, in gratiam venditorum statutum, sit majus, quàm

vulgare, tunc vendenti est licitum exigere taxatum, licet minore pretio, vulgari ematur talis census: ergo ex opposito, quando taxatum in gratiam venditorum pretium est minus, quàm vulgare, poterit vendens vulgare exigere. Prob. conc. ideo dictum in antecedente licet, quia hac ratione census venditus in nullo præjudicium, sed potius commodum vendentis censum cedit: ergo si etiam in posteriore casu cedat in commodum vendentis censum, etiam id licebit.

Confirmatur: si pretium in gratiam emptorum taxatum majus sit vulgari, potest emptor infra illud descendere, eò quòd taxatum fuerit, ut ab emptore non excedatur pretium taxatum, non autem ut infra illud non descendatur: ergo si pretium legitimum in gratiam venditorum fuit taxatum, & vulgare sit majus; etiam poterit istud vendens excedere, ac petere majus, quia etiam ta-



xatum est, ut emens infra illud non descendat, minimè tamen ut non ascendat.

14 Dico 2. Si pretium tam vulgare, quàm taxatum pro 4. sint octoginta tantùm, & pro 3. sexaginta, non potest venditor census pro 4. annis exigere, vel accipere 100., & multo minus pro tribus, ita P. Friderich *art. cit.* cum communi aliorum. Probat. talis venditor accepit plus iusto: ergo violavit iustitiam commutativam. Probat. ant. iustitia pretij non est desumenda ex voluntate solius ementis, aut vendentis, neque in potestate venditoris est augere pretium, vel in potestate ementis diminuere, quantum quilibet vult, ac tantum dare, & accipere, quantum inter ipsos convenerit. ergo si pretium vulgare, & taxatum est diversum, non potest ab hoc fieri discessio: ant. constat *ex lege 33. ff. ad legem aquiliam: & lege 63. ad leg. falcidiam*, ibi: *pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur*, seu quod idem est: *tanti res aestimanda est*, quanti verè est, & omnibus valet, non quanti alicui ex affectione, idem habetur *c. placuit de Empt. & lege 12. Cod. de erogat. milit. annonæ.*

Prob. 2. Æquitas hujus contractus consistit in æquitate pretij cum re, quæ pro illo exhibetur; sed hæc æquitas non consistit in solo consensu contrahentium: cr-

go ex solo consensu contrahentium non exoritur iustitia hujus contractus. Prob. min. tam ipsum pretium, quàm ipsa merx habent intrinsecum aliquem valorem, qui neque æstimatione hujus, vel illius emptoris vel venditoris (quæ errare potest) neque ab horum solorum voluntate, quæ mala esse potest, dependet: ergo hæc æquitas non consistit in solo consensu contrahentium.

Ob. contra hanc ultimam conclus. habet vulgare proverbium Juris - Consultorum, *ex lege pretia rerum 63. ff. ad legem falcid. ac leg. 1. §. 16. ff. ad Senatus Consultum Trebellian.* desumptum: res tanti est, quanti vendi potest: ergo &c. *re. dist. ant. res tanti est, quanti vendi potest licet*, seu intra limites iusti pretij, conc. quanti simpliciter vendi potest, non exclusis dolo, fraude, ac ignorantia, violentia, necessitate, nimio affectu, ac cæca passione, negatur.

Ob. 2. *Juxta legem in re 21. C. 16 mandati*, quisque est suæ rei moderator & arbiter: ergo nemo tenetur alteri rem suam vendere, nisi pro pretio, quod sibi placet. *re. conc. ant. neg. cons. quia tantum sequitur, quod eam possit retinere, ac regulariter alienare, obligatus nequiquam sit; aut quod si eandem alienare decreverit, alienare possit ratione, ac modo à legibus definito.* Cæterum in *citata lege mandati dum asseritur, quem-*

quemlibet esse moderatorem rei suæ, innuitur duntaxat, Dominum (non verò mandatarium) de re sua ad libitum disponere posse, si nulla lex obsistat.

17 Ob. 3. Qui sciens & prudens dat plus, quàm ipsa res valeat, excessum donare iudicatur: ergo contrahentes saltem tacitè inter se in hoc conveniunt, ut venditor lucrifaciat, quod plus accepit, aut emptor, quod minus dedit. *§. dist. ant.* qui plus dat sciens, & prudens secluso dolo, fraude, ignorantia, violentia, necessitate, nimio affectu, & cæca passione; ille censetur excessum condonare: conc. qui stantibus istis, vel uno tantum illorum plus dat, censetur excessum donare; negatur. Ordinariè vel ex ignorantia, vel necessitate, aut cæca passione coactus venditor pretium iusto minus accipit, aut emptor iusto maius perfolvit.

18 Ob. 4. Ex Pomponio Ulpianus ait: *lege in causa 16. §. 4. ff. de minor.* in pretio emptionis, ac venditionis contrahentibus naturaliter licitum esse se circumvenire: ergo &c. *§. dist. ant.* jure naturali, id est, jure gentium est licitum, hoc est, permissum con-

trahentibus se circumvenire: conc. est positivè approbatum, ut verè licitum & exclusivum peccati, neg. cum innumeræ fraudes committantur in his contractibus, ideò jus gentium non concessit cuicumque defraudationi actionem, consequenter permisisse aliquas dici potest. Non gratis autem à nobis asseri in jure tò licitum subinde idem significare ac permissum, eruitur *ex leg. semper ff. de ritu nuptiarum: §. lege non omne ff. de R. Q.*

Dico 3. Si emptor optimè sciat 19 vulgare, aut etiam legitimum pretium pro 3. esse 60. & seclusa omni necessitate 100. offerat, contentus modò annuatim 3. pro illis certò accipiat, censendus est defectum condonare, veritas conclusionis sequitur ex responsione ad object. 3.

Id ipsum multò magis licebit, 20 si ex communi, & usitata praxi aliquorum locorum consuetudo introducta fuerit, ut pro 4. aut 3. annuis solvantur 100. hoc enim supposito vulgare, ac naturale pretium saltem summum erit dare 100. pro 3. aut 4. annuis.

## §. III.

Resolvitur secundum Quæsitum.

*An sex annui licet emantur 100 ?*

**21** Dico 1. Si actu statutum, à legitima potestate factum, vel jam olim promulgatum adhuc vigeat, vi cuius pro 5. annuis expendendi sint 100. injustitia fuit emptio 6. pro 100. Probatur: pretium lege definitum ab omnibus subditis est observandum, & quidem ex justitia: ergo emens infra statutum pretium peccat contra justitiam, prob. ant. potest lex ob justas causas transferre dominia subditorum privatorum, eisque auferre jus, si bonum commune id exigat: ergo etiam subditis exigente bono communitatis præcipere, ut tanto & non minore pretio annui census emanetur, ergo tale pretium erit observandum.

**22** Dico 2. Licet pretium à tali lege adhuc vigente, atque obligante statutum, non attingat justum pretium vulgare census annui, nihilominus tamen illud servandum erit supposita justitiâ illius. ita judicant Medina, Bannes, Salon, Lessius *l. 2. c. 21. n. 14.* Salas *de re empta dub. 6. n. 2.* prob. in tali casu æquitas pretij non est pretium vulgare, sed à lege determinatum ergo, cum

servanda sit æquitas pretij, à lege taxato, non autem vulgari, census comparandi erunt.

Dico 3. Etsi verum esse supponamus, à Carolo quinto latam fuisse legem, qua obligabat subditos, ut annum 5. florenorum censum 100. emerent, si tamen in aliqua provincia, vel civitate communiter ab aliquo tempore 6. annui emanantur 100. licita & justa videtur talis annui census comparatio. prob. omnis lex potest contraria legitima consuetudine iterum abrogari, & supponi potest in talibus circumstantiis fuisse abrogata, saltem si Princeps atque Imperator consilij hujus præceos nil in contrarium moveant, & olim lata legis executionem nequaquam urgeant: ergo licet talem censum emere pretio vulgari: atqui pretium vulgare dicitur, quo communiter comparantur merces solent.

Prob. 2. Juxta auctores quodcumque notabiliter mutata fuerunt circumstantiæ, quæ semel certum valorem alicui mercis conciliârunt, etiam ipsa merx amittit suum antea habitum valorem; atqui ita se res habet in censibus.

prob.

prob. min. temporibus prioribus & Caroli V. certissimè annuatim solvebantur à censuarijs non requisitis annuæ pensiones, nec ullæ expensæ in obtinendis illis faciendæ erant: modò autem quotidiana experientia docet, censuarios ad satisfaciendum suo debito compellendos, & quamplurimas expensas in hunc finem faciendas: imò & ipsius capitalis in censu redimibili jacturam fieri.

Confirmatur 2. exponere se periculo non obtinendi censum annum, aut amittendi etiam ipsam sortem est omnium judicio æstimabile: ergo poterit pro eo aliquid exigi, vel merx oblata vi liore aliquo pretio comparari. probatur aut tale periculum habet rationem damni, eò quòd hominem prudentem etiam non timidum & anxium, reddat sollicitum, molestiam non modicam eidem afferendo: sed quod talis damni rationem habet, est utique pretio æstimabile, si illud emptor in se recipiat. ergo &c. Atqui si est pretio æstimabile, potest aliquid pro illo exigi, & taliter vitiosa merx minori pretio emi.

Confirmatur 2. Si merx aliqua credito vendatur alicui cum periculo non obtinendæ solutionis, tunc juxta Joan. Medinam: Petrum Navarrum, Cordubam, Aragon, Molinam *trañ. 2. disp. 356. Lessium l. 2. c. 20. dub. 13. & cap. 21. dub. 6. Lugo de justitia disp. 25. à n. 80. & disp. 26.*

n. 90. aliosque complures, ob hoc periculum non obtinendæ solutionis augeri potest pretium. ergò etiam vicissim, si ematur merx, quæ non statim tradatur, quando simul periculum datur eandem à vendente non obtinendi, poterit aliquid exigi.

Confirmatur 3. Multùm inrer se differunt emere rem statim sibi tradendam, vel jus ad rem certò vel statim sibi tradendam, & emere jus ad rem, de qua magnum periculum datur, ne illa mihi non obveniat: ergo potest hoc posterius minore pretio comparari. prob. ant. unum ex istis est conjunctum cum magna sollicitudine & metu perdendi pensionem: alterum est ab hoc metu immune, consequenter in uno datur novum onus à priore onere distinctum.

Confirmatur 4. In cap. 6. de usur. dicuntur peccatum incurere venditores, si merces plures vendant ratione dilatæ solutionis, & postea subjungitur: *nisi dubium sit, merces illas plus, minusve tempore, quo pretium debent recipere, valituras.* ergo in dubio, an res plus minusve tempore solutionis valeat, quàm nunc, possum plures vendere propter periculum perdendi incrementum valoris: ergo etiam possum minoris emere jus ad pensionem annuam percipiendam propter periculum patiendi damnum adæquatum, eò quòd omnino nihil de pensione annua accipiam.

Ll 2

Ob.

24 Ob. ponamus in particulari aliquo casu nullum omnino adesse periculum non recipiendi censum annum, eò quòd vel pignore, vel fidejussore censualistæ asecuratio fiat: in talibus circumstantijs non poterunt 6. pro 100. accipi, quia cessat ratio, ob quam solent expeti, periculum scilicet de non accipiendi annuo censu. *¶* vel ponitur emptio censûs fieri in loco, in quo consuetudo jam invaluit, ut 6. dentur pro 100. vel ponitur fieri in alio loco? Si hoc posterius; concedimus, quòd non possint 6. pro 100. exigi: si prius, negamus: quia pretium justum delumi debet ex communi praxi sic licet aliquis mercator, unde unde demum minoribus sumptibus res suas comparaverit, ac communiter alij sibi comparent, eodem tamen pretio, quo alij suas merces vendere poterit.

25 Dico 4. Si in aliquo loco nondum invaluit consuetudo accipiendi 6. pro 100. videatur autem in censuario periculum non accipiendi pensiones annuas longè majus, quàm communiter in alijs habeatur, tunc ratione hujus majoris periculi etiam 6. pro 100. loco 5. poterunt accipi, ratio conclusionis jam est insinuata in prioris conclusionis probationibus, quod vel maxime locum habet, si talis census ultrò offeratur, & censualista ad illum emen-

dum rogetur, quia merces ultrò oblata vilescunt.

Dico 5. Etiam si in aliquo loco necdum vigeat consuetudo emendi 6. pro 100. si tamen censuarius ultrò offerat 6. pro 100. nulla necessitate ad id compulsus, posse conveniri, ut 6. accipiantur pro 100. prob. neque obstat taxatio, eò quòd scilicet legitimum pretium sit minus, nimirum quinque tantùm floreni: ratio est, quia hæc antiquitùs lata lex ob notabiliter mutatas circumstantias non videtur amplius obligare: cum Imperatores non ignari contrariæ praxi executionem ejusdem non urgeant, consequenter in abrogationem illius tacite consentiant.

Major difficultas ratione pretij 27 vulgaris atque naturalis, cui talis emptio repugnat, exoritur, ponitur enim in tali loco communiter jus ad quinque emi centum. his tamen non obstantibus probamus nostram conclusionem. Universaliter pro 6. in omni loco reperitur illa magna difficultas in aquirendis censibus annuis, & non exiguum periculum & has, & sortem ipsam amittendi: ergo si rationes istæ in pluribus alijs locis minùs æstimabilem faciunt censum annum, ubique illius valorem minuent.

Prob. 2. Qui tantùm quinque pro centum sunt contenti, non ideò abstinere ab exactione 6. pro centum, quia judicant, illici.

ficitè atque injustè exigi 6. pro centum : sed cùm videant difficultatem in obtinendo censu minus expetunt , ut hoc eò certius obtineant : ergo pretium justum vulgare pro 6. possunt esse centum.

Prob. 3. Modus vendendi mutat pretium : & merx ultrò oblata minori pretio comparatur , quàm alia : ergo si aliquis ultro alterum roget , ut à se censum quandam comparet , offeratque 6. pro centum , poterunt in istis circumstantijs taliter emi.

Confirmatur à pari, etsi ab Episcopo , vel ex consuetudine statutum sit , ut pro labore in sacrificando habito non dentur pauciores , quàm 30. crucigeri , quia tamen hæc lex in favorem sacerdotis est lata , hinc sequitur , quòd

seculares non possint compellere sacerdotem , ut minus stipendium pro una missa exigat ; interea tamen poterit ille minore stipendio esse contentus , si velit , cùm etiam omnino gratis posset pro altero celebrare : ergo idipsum etiam de præsentis casu censuum est tenendum , cùm sint omnia paria. Videtur igitur talis censuarius saltem liberaliter plus solvere.

Confirmatur, multitudo ementium , & raritas vendentium auget pretium , & ex opposito paucitas ementium , & pluralitas vendentium minuit pretium : ergo si multi adsint , qui offerunt census vendibiles & pauci , qui possint aut velint eisdem emere , potest etiam decrefcere pretium censuum.

#### §. IV.

##### *Quid de Justitia Censuum personalium sit tenendum?*

28 CUM similes , de quibus quaesitum tertium agit , census communiter vendant , qui rebus immobilibus sunt destituti , uti sunt ancillæ , famuli , opifices &c. hinc justitia talium censuum ante omnia petenda erit ex licentia census personalis , qui in nulla determinata re constitutus , ipsam personam afficit , quæ ad solutionem obligatur , ex quibuscunque bonis habuerit.

Ejusmodi censum personalem à nullo naturali jure reprobatum esse , defendunt Lessius l. 2. c. 22. dub. 4. salas de censibus dub. 3. n. 3. Laym. l. 3. summa sect. 5. tract. 4. c. 18. concl. 3. Palao de justit. disp. 6. pu. 11. n. 2. citans plures pro hac sententia.

Prob. idipsum ratione : Vi cap. decima 16. quest. 1. cap. non est : cap. Apostolica : & cap. pastoralis : de decimis imponuntur decimæ per-

L. 2.

sona-

sonales : item tributa regalia imponuntur personis *lege ultima §. Lucius Titius : ff. de contrab. emptione* : ergo etiam possunt emi census personales, prob. conf. quod lege imponitur, etiam conventionem potest statui : ergo &c.

Prob. 2. Bartholus *in lege qui sit fugitivus §. apud labeonem : ff. de Edictio edito Tiraquell. lib. 2. de utroque retractu §. ultimo n. 127. Navarrus l. 5. de usur. conf. 4. edit. 2. Binsfeld, Laym. de censibus n. 12. defendunt, licet contractus dubij & incerti juris, & usurae speciem aliquam praesefere videatur, eundem tamen propterea non statim injustum, aut usurarium dicendum, quando in aliqua provincia praesertim a viris doctis, & honestis est solitus celebrari : atqui census personalis est talis, cum per universam Galliam, Germaniam & Belgium celebretur &c, ergo &c.*

Prob. 3. In censu reali ex rebus fructiferis potest emi jus percipiendi partem talium fructuum : ergo etiam in censu personali comparari jus ad percipiendam portionem ex fructibus, quos talis persona industria sua & laboribus facit prob. con. ejusmodi persona non minus est fructifera, ac caeteri fundi : ergo.

30 Objicies cum adv. in tali contractu non datur aequalitas inter pretium, & rem emptam prob. cumulus plurium pensionum multum excedit pretium. *2y. n. ant. in prob. c. ant. n. con. ratio. est,*

quod immediate non emanant pensiones sed jus ad illas : hoc autem non aestimatur tanti, quanti sunt ipsae pensiones, eo quod plurima incommoda, & difficultates in eisdem obtinendis subeunda manent.

Ob. 2. Martinus V. in extravag. 31  
1. & Calixtus tertius in extravag. 1. de emptione & vend. inter communes approbarunt solos census reales : accedit, quod Pius V. in sua extravagante de censibus statuerit, ut census super re immobili, & non aliter constitui possit : ergo &c. *2y. n. 2. praelaudari etenim pontifices solummodo statuerunt reddendam minimè sortem esse, si perierit res illa, super qua census constitutus fuerat, num autem in talibus circumstantijs census etiam in posterum perfolvi debeant, in illis extravagantibus nequaquam definierunt. Accedit, quod Nicolaus V. uti etiam Gregorius XIII. in suis constitutionibus de censibus expressè asserant, obligari in censu personam posse, hujusque obligationem praecipuam esse, non obstante quòd aliqua bona, jure hypothecae aut pignoris in securitatem ass. impta fuerint. Constitutionem Pij V. quod attinet, in hac nequaquam decernantur census personales tanquam illiciti ; sed tantum, ne constituantur, praecipitur, ut omne videlicet usurae periculum evitetur. cum autem ista constitutio vel omnino in his partibus nunquam*

re-

recepta, vel si recepta, contraria consuetudine fuerit abrogata, hinc illa nostræ sententiæ obesse nequaquam videtur.

32 Ob. 3. Nulla persona potest ad solutionem personalium pensionum astringi: ergo &c. *¶* dist. ant. non potest ita astringi, ut emens censum aquirat jus aut dominium in ipsum corpus censuarij; con. ita ut obligetur ad solutionem ex suis bonis, quæ jam possidet vel sua industria ac labore possessura est, negatur.

33 Urgent. pereunte persona non perit census: ergo personæ annexi census nequit. *¶* dist. ant. pereunte persona non perit census, quo emptum fuit jus ex bonis industria censuarij primum aquirendis, neg. quo emptum fuit ex bonis omnibus censuarij quomodocunque acquisitis, subdist. non perit, si remaneant talia bona, conc. si nullum tale bonum remaneat; negatur.

34 Urgent: ponamus casum, quo talis persona vel morbo, vel quacunquæ alia ratione impediatur à labore, ita ut nullum lucrum facere possit: non potest dici, num aliquis census tunc possit exigi, vel non: ergo &c.

*¶* Si solum jus percipiendi censum ex fructu laborum fuerit emptum, neque ullo alio pacto conventum, ut etiam pensio solvatur, licet nullum lucrum ex laboribus. aut industria sua facturus esset, nullum tunc censum

præstandum esse, qui tamen etiam in istis circumstantijs exigi poterit, si tale aliud quoddam pactum fuerit initum.

Dein Lessius, Tanner: & Pirhing docent, per se loquendo, deberi censum realem super re aliqua constitutum, etsi res ista uno vel altero anno nullos fructus redderet, modo hic defectus compensetur, vel possit compensari multitudine fructuum, quos cæteris annis protulit, vel prolatura est: ergo idem de censu personali tenendum erit.

Advertit etiam Lessius, ut talis contractus censuali superadditus valeat, hanc aliam censuario superadditam obligationem justo pretio compensandam, & pretij quantitatem ex judicio viri prudentis, & probi desumendum esse, postquam eventus periculum, num hoc magnum, vel parvum expensum fuerit.

Ob. 4. Si admittatur census personalis, nulla amplius usura committetur: prob. quodocunque aliquid exigitur ultra sortem, semper poterit exigi ut census: ergo &c.

Confirmatur hac ratione non amplius concedetur alicui mutuum, quia semper aliqua pensio annua exigetur. *¶* dist. ant. Nulla usura committetur, si persona ratione sui laboris, & industria sit fructifera, & emptor intendat expressè emere censum ex fructibus talis personæ: conc.



si unum ex his desit : negat. ant. etiam Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 6. n. 44. licitam fore hujusmodi emptionem. Si re ipsa verè emptor intendat emere censum, quia intendit emere actionem personalem alterius, seu jus ad partem lucri ex illa provenientes. Dein simile argumentum formari po-

test contra justitiam census realis, seu constituti supra fructus ex alterius re immobili producendas,

Ad Confirmationem dico, per hoc non evitendam rationem mutui : cuiuslibet enim adhuc liberum manet mutuum, vel censum celebrare.

## §. V.

## Substantia Quæsti tertij expenditur.

*Utrum unico floreno licitè emam censum crucigeri in singulas hebdomades, vel denarij in singulos menses persolvendi ?*

Postquam ostendimus personalem censum justo pretio comparatum, non illicitum esse, restat examinandum, an jus accipiendi singulis hebdomadis crucigerum justo pretio comparetur, si unico floreno ematur.

37 Rationes pro sententia negativa possunt esse. Prima cum 52 hebdomades conficiant integrum annum, sequitur, quòd jus percipiendi annuatim 52. crucigeros ematur uno floreno; atqui hoc pretium est minus communi vulgari, atque ordinario pretio. Prob. minor de facto emitur jus percipiendi annuatim florenum 20. florenis : ergo &c.

38 Secunda. Quando cumulus pensionum excedit sortem, tunc

injusta est emptio, quia non datur æqualitas inter mercem & pretium : atqui tales pensiones, si duobus solum annis computentur, jam excedunt florenum, cum conficiant florenum, & 44. crucigeros.

Tertia. Si uno floreno possim emere jus percipiendi hebdomatim unum crucigerum, tunc 10. florenis possim comparare jus percipiendi hebdomatim 10. crucigeros, & consequenter annuatim 520. crucigeros, seu 8. florenos, item 100. fl. possim emere jus percipiendi annuatim 520. crucigeros, qui conficiunt plures quàm octoginta sex florenos : atqui hoc est & legitimo, & vulgari pretio contrarium : ergo &c. Quæ-

- 40 Quarta. Vel unico floreno emo censum irredimibilem, ac perpetuum, hoc est perpetuum jus accipiendi hebdomadatū crucigerum, vel emo censum redimibilem? si irredimibilem, tunc non est æqualitas inter pretium, & rem emptam; si redimibilem non videtur differre à mutuo.
- 41 Quinta. Neque impeditur injustitia hujus contractus ex eo, quod vendens censum ultroneè, ac liberrimè consentiat, imò ipsismet offerat in singulas hebdomades crucigerum, vel denarium in singulos menses: ista enim omnia facit ex necessitate, ac indigentia pecuniæ compulsus. 2. Pretia rerum non dependent à privato contrahentium consensu, sed à lege, vel communi consuetudine provincie.
- 42 Sexta. Ejusmodi contractus cum ancillis, famulis, aut de pauperatis hominibus alijs initi præbent causam plurimis furtis & injustitijs: eò quòd sine istis non habeant, unde singulis mensibus, aut hebdomadis promissum censum persolvant.
- 43 Septima. Perinde est emere pecuniam solvendam simul, ac emere illam per partes: ergo cum major pecuniæ summa simul solvenda non possit emi minore; neque majori pecuniæ summa per partes solvenda, poterit minore emi, atqui hoc fieret supposita licentia hujus contractus. Prob. min. ponamus casum, quod ego

ad duos annos emam floreno jus ad recipiendum singulis hebdomadis unum crucigerum, conficiant isti finitis duobus annis unum florenum cum quadraginta quatuor crucigeris: sed hæc summa est major floreno, quo fuerat emptata: ergo &c.

Octava. Secluso damno emergente, vel lucro cessante non possum mutare centum sub obligatione reddendi quindecim: in singulos annos per decennium. ergo neque emere.

Allatæ hæctenus rationes conantur evincere, illicitum esse emere censum realem, vel personalem minore pretio ad determinatum tempus, quàm sit cumulus pensionum. Proponendæ sunt modo etiam rationes, quæ justam ejusmodi emptionem futuram asserunt. Supponunt autem illarum aliquæ, pensiones singulis hebdomadis, vel mensibus divisim solvendas esse, & hinc sic argumentantur.

Primò. Absolutè potest aliquis licitè emere censum, seu pensionem ad certum tempus constitutam pretio minore, quàm sint omnes pensiones speratæ simul sumptæ: ergo etiam poterunt ad certum tempus emi pensiones pretio aliquo absolutè quidem majore, non tamen multum excedente pensiones omnes totius anni. Prob. ant. in tali casu non emuntur ipsæ pensiones, sed solum jus ad illas divisim accipiendas, sed

Mm  
jus

jus hoc potest minori pretio emi:  
 prob. min. hoc jus accipiendi di-  
 visim pensiones est longè minùs  
 æstimabile, quàm ipsæ pensiones  
 collectim acceptæ, & simul præ-  
 sentes. Prob. ant. in debito tot  
 in tempora distributo reperitur  
 continuum periculum interitùs,  
 adsunt quam plurimæ difficultates,  
 faciendæ expensæ in obtinendis  
 pensionibus: ergo hoc jus mino-  
 ris est æstimationis, quàm sint ip-  
 sæ pensiones actu præsentis. Prob.  
 nunc etiam consequentia primi en-  
 thimematis: talis emptio foret ju-  
 sta: ergo poterunt ad certum  
 tempus emi pensiones pretio ali-  
 quo absolute quidem majore, non  
 tamen multum excedente pensio-  
 nes omnes totius anni. Prob.  
 ant. supposita veritate primi ante-  
 cedentis in hoc argumento, pre-  
 tium justum potest esse, licet sit  
 hoc minus, quàm omnes spera-  
 tæ pensiones simul sumptæ: ergo  
 etiam erit justum, si pretium sit  
 aliquantulum majus pensionibus  
 speratis simul acceptis.

Confirmatur. Potest emi cen-  
 sus perpetuus, & tamen successù  
 temporis adierunt tot aliquando  
 pensiones, quæ multum exced-  
 unt pretium, quo comparatus  
 fuerat census. Ergo etiam pote-  
 rit taliter emi census temporalis:  
 prob. cons. census temporalis  
 non plus valet, quàm perpetuus:  
 ergo si perpetuus potest  
 emi, etiam poterit taliter emi tem-  
 poralis.

Pro justitia ejusmodi emptio-  
 nis allatæ in antecedente hujus ar-  
 gumenti adducuntur Conradus q  
 79. § 80. Covarr. cap. illo 7. n.  
 4. Cajetan. V. usura sub finem: Na-  
 varrus cap. 17. n. 230. Lessius  
 de justitia lib. 2. cap. 22. dub. 6. n.  
 42. Salas de censibus dub. 4. n. 2.  
 § 4. Palao de censibus pu. 12. n. 2.

Hoc ipsum constat ex lege ul-  
 tima Lucius Titius ff. de contrah. empt.  
 § lege necessario §. ultimo ff. de  
 periculo §. commodo rei vendite,  
 docet etiam Bartol. in leg. totum  
 ferro §. qui maximos ff. de republi-  
 canis §. vedigal. §. in lege §. non  
 §. ultimo ff. locati §. conducti.

Cùm igitur modo sufficienter  
 probabilis fuerit reddita justitia  
 Emptionis, quæ minore pretio ad  
 determinatum tempus emat cen-  
 sum, quàm sit cumulus omnium  
 pensionum illius temporis in par-  
 ticulari. Modò examinandum re-  
 stat, an unico floreno hebdomo-  
 darius census unius crucigeri, vel  
 mensstruus unius denarij ad inte-  
 grum annum comparari possint,  
 etsi hæ pensiones simul collectas  
 multum accedant ad florenum,  
 qui fuerat illorum pretium valor  
 itaque juris ad 52. crucigeri in  
 singulas hebdomades divisim ac-  
 cipiendos. vel maximè ex eo de-  
 crescit, quia sumi summopere inep-  
 ti ad lucrum aliquod ex ijs facien-  
 dum, quod tamen facere ex in-  
 tegro floreno præsentis faciliè pos-  
 sum. 1. æquè illi inepti sunt ad  
 succurrendum necessitatibus oc-  
 cur.

currentibus. 3. singuli crucigeri  
divisim accepti facillimè iterum  
amittuntur, distribuuntur in alios,  
& in fines utiles expenduntur,  
ita ut juxta communem experien-  
tiam ejusmodi divisim accepti cru-  
cigeri rarissimè & difficillimè eo-  
ulque afferventur, usquedum in-  
tegrum florenum conficiant, at-  
que utiliter & in commodum no-  
tabile sui Domini expendi pos-  
sint, ergo emere floreno istud  
jus, est se exponere ordinario,  
ac certissimo periculo amittendi  
talem florenum, & utilitatem ex  
illius possessione obtinibilem.

Hæc sola incommoda, &  
detrimenta, quæ emens subire  
cogitur, merito quemcunque ab  
emptione ejusmodi juris absterre-  
re possunt: his ulterius accedunt dif-  
ficultates, quæ in iisdem obti-  
nendis subeundæ; molestiæ in  
expetendis, atque expensæ apud  
judicem, ut renuentes satisfacere  
compellat, faciendæ; Imo ma-  
ximum subinde & non vix com-  
mune, ac universale periculum  
ipsius amittendæ fortis incurritur,  
eò quòd tales modici census ut  
plurimum à depauperatis viduis  
famulis, junioribus opificibus,  
atque ancillis domesticis vendan-  
tur, quæ sæpius inscijs Credito-  
ribus clanculum se aliò conferunt,  
ita ut Creditores ubinam eos con-  
venire possint, & debeant, nulla-  
tenus inveniant. si igitur pro mag-  
nitudine periculi, cui & fors &  
annui census exponuntur, decref-

cit valor juris ad censum, ex al-  
latis rationibus quamplurimum  
ejusmodi juris valorem diminui  
necesse est.

Secundò, Justitiam hujus contra-  
ctus etiam illud suadere non  
improbabiliter videtur, quòd le-  
gitimum pretium statuens pro  
emptione juris ad 5. solvantur  
100. lata sit in emolumentum at-  
que commodum ipsius vendentis  
censuarij: ergo ille ultro poterit  
cedere huic suo juri, & censum  
alteri super se aut super rebus suis  
constituendum minori pretio di-  
strahere.

Tertiò, Plures emerunt jus ad  
decem, octo, septem, sex, cen-  
tum florenis, hos tamen non au-  
dimus sibi alicui conscientiæ du-  
cere, quòd à taxato & consueto  
pretio discedant: ergo &c.

Itaque cum rerum pretium ex  
judicio prudentum, omnibus cir-  
cumstantijs perpensis formato,  
statuendum sit, huic decidendam  
totam istam controversiam relin-  
quimus: quòd si in quibusdam  
locis jam invaluerit etiam apud  
timoratos & doctos legitima con-  
suetudo emendi tam exiguo pre-  
tium prædictum jus ad crucigerum  
in singulas hebdomades accipien-  
dum, sine injuria tales contractus  
celebrari posse, nonnullis appa-  
rebit, eò quòd vulgari pretio  
res distrahere & sibi comparare,  
cuilibet concessum esse, commu-  
nis sententia doceat.

Mm 2

Cz-

49. Caterum ad argumentum num. 45. pro licentia talis censûs allatum, responderi potest: transf. vel concessio ant. dist. consequens, ergo potest etiam emi census pretio superante aliquantulum pensiones speratas simul acceptas, potest tali pretio emi ille ipse numero census, qui minore potest emi, sine injuria vendentis, conc. conf. potest alius quicumque census, emi etiam minore tali pretio: subdist. si statutum Principis, vel consuetudo legitima eundem approbaverit, conc. si hæc approbatio non accesserit: negatur. Jam sæpius alibi insinuavimus, justitiam pretij ex statuto Principis aut communi & invalescente consuetudine ementium esse desumendam, his accedit, quod pretio centum florenorum possem emere annuam pensionem 86. florenorum: hoc autem videtur esse nimium: mala hinc erit illatio: centum florenos pos-

sum emere annuos quinque: ergo etiam, octoginta sex florenos: quod tamen sequeretur, si ex antecedente argumenti subjuncta consequentia flueret.

Argumento n. 46. allato videtur satisfieri, si dicatur, censurium necessitate quadam compulsum plus consueto obtulisse, hinc instar solventis usuram nequaquam excessum donare censurata.

Quæ denique num. 47. fuerunt allata: ex eo diluuntur, quod licitam ejusmodi emptio- nem fecerint consuetudines locorum: tum quod excessus venditæ pensionis annuæ non ita enormiter superet ordinariam tali pretio vendi consuetam pensionem, prout hanc superat cruciger in singulas hebdomades persolvendus, si unico floreno ejusmodi pensio duntaxat emptata fuerit.